Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38278
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

Pulcherrime sane lucas genelogiam xpi dicturus: ipsum patrem praemisit loquentem. Tu es
filius meus dilectus; ut eundem uerum di filium diuina adtestatione quem uerum homi
nis filium humanae successionis ordine conprobaret.

Qui fuit heli qui fuit mathat qui fuit leui et cetera.

Merito mouet quomodo ioseph duos patres ex diuersa pa auorum stirpe uenientes unum quem
lucas, alterum quem mattheus commemorat habere potuerit. Dicit enim mattheus mathan autem
genuit iacob. Iacob autem genuit ioseph uirum mariae. Sed huius nodum questionis africanus
de de consonantia euangeliorum scribens aptissime soluit. Mathan inquit et matha diuersis
temporibus de una eademque uxore estha nomine singulos filios procreauerunt. Quia mathan qui per salo
monem descendit uxorem eam prima acceperat et relicto uno filio iacob nomine defunctus est.
post cuius obitum quoniam lex uiduam alii uiro non uetat nubere. mathat qui per nathan genus ducit
cum esset ex eadem tribu sed non ex eodem genere relictam mathe accepit uxorem ex qua et ipse
accepit filium nomine heli. per quod ex diuersa patrum genere efficiuntur iacob et heli uterini fratres.
quorum alter id est iacob fratris heli sine liberis defuncti uxorem et mandato legis accipiens genuit
ioseph. natura quidem germinis suum filium propter quod et scribitur. Iocob autem genuit ioseph secun
dum legis uero praeceptum heli efficitur filius. Cuius iacob quia frater erat uxorem ad suscitandum
fratris semen acceperat et per hoc rata inuenitur atque integra generatio et ea quam mattheus
enumerat dicens. Iacob autem genuit ioseph et ea quam lucas conpetenti obseruatione designat
dicens. qui putabatur esse filius ioseph. qui fuit heli. qui et ipse subsonante eadem distinctione heli
esse filius putabatur; qui fuerat mathat qui a legalem hanc successionem quae uelud adoptione
quadam erga defunctos constat magis quam germinis ueritate in conpetenti satis per hoc designa
uit indicio obseruans euangelista ne omnino in huiuscemodi successionibus genuisse aliquem
nominaret per quod digna distinctione non discendens sed ascendens usque ad adam et ad ipsum usque
peruenit dominum. haec autem non nobis adsubitu repta ut absque ullis auctoribus commentata sunt. sed ipsi haec
saluatoris nostri secundum carnem propinqui seu studio tanti seminis demonstrandi seu docendi quae
secundum ueritatem gesta sunt tradiderunt. haec africanus his ipsis syllabis profert excepto
quod pro mathat posuit melchi quod fortasse uel codex illius sic habuit uel in historia in qua haec didice
rat eundem mathat inuenit esse dionimum quia ergo mattheus regalem. lucas sacerdotalem domini per
sonam suscipere taxandam. Unde et in quadriga cherubin hunc leo fortissimus bestiarum illum
uitulus sacerdotum uidelicet hostia designat. Eandem uterque suo operis intentionem in genelogia
quoque saluatoris texenda seruauit. Accitenamque animaduertendum est mattheum qui regiam in xpo
instituerat insinuare personam excepto ipso xpo quadraginta homines in generationum seriae
nominasse. Numerus autem iste illud tempus significat quod in hoc saeculo et in hac terra regi
nos oportet a xpo secundum disciplinam laboriosam qua flagellat deus. sicut scriptum est. Omnem
filium quem recipit. Neque enim quadraginta duae quod faciunt ter quaterni et deni. sed